39/0009

frontispiz

Chromotaxia
seu Nomenclator colorum polyglottus
additis speciminibus coloratis.

ad usum Botanicorum et Zoologorum
exposuit
P. A. Saccardo

Praemonitus

Nomina colorum, praecipue latina, quibus naturalistae quotidie utuntur ad vegetabilia et animalia describenda, non raro male v. nimis vage interpretantur, eo scientiae damno quod neminem latet. Si enim in describendis corollis, v. fructibus, v. sporis, v. insectis etc. colores eorundem inepte describantur quis speciem sibi quaesitam in diagnosi hujuscemodi vitiata recognoscet? Quod eo magis usuvenire solet et reapse usuvenit, cum nomina plura latina colorum satis incerta v. vaga sint ut ~~necessario~~ nonnisi vage interpretari possint (e. g. ravus, helvus, furvus, spadiceus, hysginus, rufus etc.)

Estne huic malo quoddam remedium? Tentamen, quod nunc naturalistis exhibere audeo, demonstrabit. In hoc conatus sum: 1.° nomina latina colorum typicorum strictius definire; 2.° Synonyma latina afferre; 3.° nomina colorum affiniorum cuique colori typico addere; 4.° nomina italica, gallica, anglica, germanica, quantum scivi, referre; 5.° ~~etyma~~ exempla, origines, etyma, explicandi gratia, adducere ~~etc.~~ In hoc studio strenue juvit cl. doctor Julius Paoletti, Instituti botanici Patavini adjutor, cui libenter gratias ago.

Hujus opellae auxilio factum est ut siquis velit seu vegetabilium v. animalium sibi describendorum colores nomine suo recto donare seu colores in diagnosibus descriptos exacte interpretari conspectum praesentem cum quadam forte utilitate conferre possit ~~ipse~~ ~~hoc~~ quem fortasse etiam commode consulet, cui nomina nova specierum condenda sint.

Votum auctoris hoc est: naturalistae si in hoc chromotaxiae tentamine mendas quasdam inveniant, velint benigne corrigere, approbatum vero jugiter sequantur ut ubique nomenclatura colorum unica et certa habeatur *)

Patavii XXV ~~Januarii~~ Februarii MDCCCXCI

P. A. Saccardo

*) Insuper in coloribus derivatis inter parentheses notavi numeros illorum e quibus ~~varia proportione~~ derivati oriri possunt: ita sub griseo et sub marino legitur (1+5) nam uterque ex albo (1) et nigro (5) ~~uterque~~, varia proportione, generatur.